



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 5. De Apparitione tertiatâ. Myst. punct. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

affectum indifferentiae erga longam vel breve vitam, sicut in Meditatione *Fundamenti* elicimus.

**PUNCTUM V. SOLATIUM IN HAC VITA.** MEM. Re  
cogitemus consolationem Magdalenaæ Chri  
sto cognito.

INTEL. Ratiocinemur, quod præ multis aliis  
Christus hanc gratiam ipsi impenderit, quia ad effici  
stítit Christo morienti. REFL. Nos quoque si con  
stanter compassi fuerimus Christo, poterimus nos,  
eius solatia etiam in hac vitâ exspectare.

VOL. Dicamus cum Apostolo: Gal. 2. Chri  
sto confixus sum cruci: vivo autem jam non ego,  
vivit vero in me Christus.

COLLOQ. Ad Christum redivivum, petendo  
gratiam cum illo patiendi, prout in Medit. de  
vexillis, ut participes aliquando fiamus victoria.  
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO. SENSUUM

## MEDITATIO V.

*De Apparitione tertia. Matth. 28.*

Myst. punct. I.

CONG. Propria toti huic hebdomadæ.

PRÆL. I. Quomodo Mulieres cum timore,  
& gaudio à monumento redirent: Discipulis nar  
rarent, quæ de resurrectione audiverant.

PRÆL. II. Imaginari viam, per quam redibant.

PRÆL. III. Petere gratiam Christum quaren  
di, & dignè prædicandi.

PUN.

DUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Mulieres exierunt  
cito de monumento cum timore, & gaudio ma-  
gno. Matth. 28.

INTEL. Gaudebant, quia sciebant Christum  
non esse, sed surrexisse. Causa timoris, inter  
eteras erat, quod nescirent, ubinam esset. REFL.  
dem nobis accidit, dum JESUM quærimus per Re-  
gulas electionis. Non sine gaudio audimus, non  
huc: non est in hoc statu, hoc negotium non  
conducit eligendum. Sed timor manet, quamdiu nesci-  
mus, quid amplectendum.

VOL. Statuamus bene vacare Regulis electio-  
nis: petamusque donum consilii, ut non tantum  
intelligamus, ubi Christus non sit; sed etiam ubi  
sit. Non tantum sciamus malum, à quo declinan-  
dum; sed etiam bonum, quod faciendum.

DUNCTUM II. VERBA. MEM. Audiamus mulieres  
in reditu. inter se loquentes.

INTEL. Sanè non lubebat illis loqui de rebus  
mundanis, & vanis: de iis, quæ Jerosolymis vel in  
imperio Romano gerebantur: sed tantum de My-  
sterio Resurrectionis. REFL. Si nos quoque quæ-  
seremus eo fervore Christum, non placerent quo-  
querumores vani.

VOL. Doleamus de inanibus colloquiis: Di-  
camus Deo: narraverunt mihi iniqui fabulatio-  
nes; sed non ut lex tua.

DUNCTUM III. OPERA. MEM. Mulieres exierunt ci-  
tò de Monumento ... currentes nuntiare Disci-  
pulis ejus. Matth. 28.

INTEL.